



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

17. Qua[n]ta sit non solùm diuinæ, sed etia[m] humanæ misericordiæ vis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Itaque quisquis vel de se, vel de villo peccatore, rem desperatam esse putat, huc oculos reflectat, & respiret. Neque offendi debet quisquam, si videt multa ac grandia quædam peccata à sic conuerso, antè fuisse perpetrata. Talis ardentius dicere potest: *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* In magni peccatoris conuersione, magna misericordia ostenditur. Neque quidquam magna Dei misericordia, magnæ eiusdem iustitiæ prærogat. Vtraque illius est, vtrauis potest vti, pro libertate. Neque verò iustitia in talibus nulla ostenditur. Bonifacius magna contritione, magno amore Dei, magna potuit peccata compensare, vt diceretur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Denique, inter tot tormenta, facile potuit luere tot delicta; & tanto sanguine tanta peccata lauare. Quòd si etiam considerare volumus, quid de congruo Aglaidi & Bonifacio fecerit Deus; duas in ijs causas reperiemus. Nam Bonifacius, etiam cum vino & Venere caleret, *pecunia erat contemtor magnificientissimus, & ad eas egentibus distribuendas longè liberalissimus, & hospitalitati deditus, si vllus alius.* Si quando ergo vidisset aliquos ex viatoribus, aut astu & siti eliquatos, aut niue & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat, vt à labore requiescerent: & cum cessissent, in domum suam introductos hospitio benigne accipiebat, & verbis, & factis eorum omnem propulsabat molestiam. Quare non sustinuit Dominus, despiciere animam hanc: neque animam Aglaidis, quæ & ipsa in Bonifacii liberalitatem consensit, & multum auri tradidit, vt etiam haberet, quod distribueret pauperibus.

Nimirum beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hæc sunt iudicia diuinæ bonitatis, vt, si quis pauperi det obolum emat cælum; si panem porrigat, aut aqua frigida haustum, mercede sua non careat. Qua mercede? Nimirum huius & alterius vitæ. Hinc nihil speciatim dixit, quando dixit: *miseri cordiam consequentur*, vt vtrumque dixisse censeatur. Quando enim dixit: *Beati pauperes spiritu*, non addidit, *quoniam illorum est regnum mundi & cali.* sed limitatè addidit: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* At cum ad misericordiam venit, non ad regnum cælorum duntaxat misericordes remisit, sed misericordiam vicissim spondit, quæ vtique sapissime, etiam in hac vita, exhibetur. Vnde & illud habemus: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem;* Psal. 40.2.

XVII.

Psal. 106.1.

Luc. 7.47.

Surius in eius vita 5. Iunij.

XVIII.

Matth. 5.7.

Matth. 9.40.